

ELEGIA XVI.
AD BERNARDUM ZAMAGNAM
SUUM OLIM AUDITOREM.

DUlcibus irasci si possem lævus amicis,
Aut male si cuiquam dicere, vel facere,
Præsertim docto, Musarum & sacra colenti:
Irascar certe nunc tibi; nec facere,
Nec tibi cessarim male dicere, docte Zamagna,
Et mihi junctæ arcto fœdere amicitiae.
Id quando haud possum, nec fas est; quod licet unum,
Tecum pacata paucula mente querar.
Quorsum? inquis. Quia mi, luctanti plurima contra
Nequidquam, blandi carminis illecebra,
Atque tuis precibus (quid refert vi sine dura
Id gestum? vis est, crede mihi, hæc etiam)
Carminis illecebra, & precibus tandem eripuisti,
Quod semel, atque iterum, ac sæpius abnueram:
Versa olim ut paterer Grajorum hæc scripta latebris
Educi, ac prælo subdita Palladio,
Quo fors cumque velit, ferri versanda virorum
Sæpe manu, & lentis inspicienda oculis.
Quod, quoniam sum pollicitus, præstare necesse est
Qualibet, atque datam non violare fidem.
Sed mi pol misero metuo male, ne tibi morem
Quod cupido gessi postmodo poeniteat;
Neve mea hæc, laudas nimium quæ scripta, leporum &
Reris plena, jocique, & salis, & venerum,
Cum prolata foras prostabunt, seque, suumque,
Scriptorem turpi dedecorent facie